



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Amatvs Episcopus Senonensis Duaci.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

pluuiæ, venti, grandines vllaue cœli inclem̄tia pellem  
detraxerit, nec vermes cerebrum exederint, sed quod car-  
ne, pelle, cerebro, oculisque exsiccatis duntaxat s̄epius cir-  
cumdederit nocturna lux, infedeuntque innocentiae  
testes columbae; ut mihi qui viderunt plures testati sunt.  
Hactenus P. Hyacinthus Choquetius in *vitis Sanctorum*  
Belgij ex Ordine Prædicatorum.

## AMATVS

*Episcopus Senonensis Duaci.*

**A**MATVS Theodorici Regis Galliae iussu sede sua pul- 13. Sept.  
sus, & in Broilensi monasterio à B. Mauronto ad Li-  
sam fluuum in Flandria constructo exceptus obiit anno  
sexcentesimo nonagesimo; ob Normannorum vero excur-  
siones translatus est Duacū vna cum Broilensi monasterio,  
quod hodie Canonicorum S. Amati est Collegium, quod-  
que permisso Ioannis Episcopi Cameracensis, Caroli Fran-  
corum Regis & Balduini Ferrei flandriæ Comitis anno  
874. ibi sedem fixit. Historia vitæ exstat ibidem in veteri  
codice argenteis laminis exornato circa annum 1040. scri-  
pta, à Clerico vt appareat Amatensi, nomen suum pro mo-  
destia eius æui subtile. Vide Iacobi Taurelli historiam  
Archiepiscoporum Senonensium anno 1508. ibidem edi-  
tam & Coluenerij notas ad cap. 22 li. 1. Chronic Camera-  
censis. Ita Miræus. Fuit autem apud Theodoricum Regem  
accusatus de Infidelitate, ac causâ non discussâ in exilium  
ablegatus. Quamobrem exulauit Péronæ usque ad mor-  
tem Vltani Abbatis, deinde B. Mauronto commendatus  
Hamatici vixit, ubi sepeliuit SS. Abbatissas Gertrudem  
& Eusebiam, post requisitus à S. Rictude & filio ejus iam  
dicto Mauronto regimen monasterij Broilensis suscepit.

C

Eo

Eo itaque in loco, inquit Molanus monasticam congregacionem gubernauit, & populo alimenta coelestis prædicationis ministrauit ad annum usque obitus sui. Eius corpus, sed & ferri pondus, quod ad collum gestauerat, multis miraculis claruerunt. Quibus auditis Theodoricus Rex ad sepulchrum veniam perpetrati in eum facinoris flagitauit, & multas possessiones ad alimoniam seruorum Dei eidem contulit Maurontus vero ad honorem eiusdem Presulnis, sui etiam patrimonij multa prædia, per chartarū instrumen-  
ta assignauit. Præterea haud longe à B. Petri Ecclesia, aliam Deiparæ struxit Ecclesiam, ad quam diuinitus monitus cum sancto Baino Morinorum Episcopo B. Amati reliquias transtulit. Postea à clero Meruillano primū Sues-  
siones inde Duacum est translatus, ut ante dixi, in sui iuris Ecclesiam. Eleuatio per S. Bainum facta & translatio re-  
coluntur quarto Kal. Maij & decimo quarto Kal. Nouem-  
bris Archiepiscopum quoque Senonensem fuisse liquet ex  
subscriptionibus Concilij Aurelianensis tertij, vbi Leo  
Senonensis subscribit Tom. 2. Conciliorum. Ita in natali-  
bus Molani hâc die annotatum.

## Æ G Y D I V S

à S. Audomaro Gandenſis Dominicanus.

*Kalend. August.* **V**erum pluribus virtutibus excellentem Gandenſis monasterij Sanctis adscribunt rerum Dominicanæ Religionis scriptores. Leander Albertus lib. 5. de viris illiſtrib. Ord. Prædicat fol. 1. 6. Thomas Cantipratanus l. 2. Apum c. 1. parte 14. Michael Pius primā parte sua historiæ fol. 109. qui tamen pauca admodum de Sancto illo viro cōmemorant; adeo ut totius vitæ eius seriē nobis inuidetur antiquitas: omni tamē virtutum exercitio exultam fuisse

& ad

